

est sermo subjectus, cap. *Intelligentia*, de Verb. significat. Verum est igitur homines iudicare de menteloquentis ex verbis, non tamen ex illis nude et abstracte sumptis, sed ut conjunctis omnibus circumstantiis a quibus determinari possunt ad hanc intentionem potius quam aliam indicandam: unde ad confirmationem fatemur legem non constitui per internam voluntatem, nisi in lege ipsa sufficienter manifestetur, ut probat ratio facta. Nihilominus tamen, ut verba legis sufficienter indicent intentionem et voluntatem legislatoris, non est necesse ut abstracte et nude sumpta illam indicent, sed possunt ac debent ex omnibus ad-junctis determinari.

15. Secundo, interrogari hic potest an mens legislatoris plus conferat ad veram interpretationem legis quam verba, vel e converso. Nam ex dictis videtur sequi plus menti esse tribuendum quam verbis, quia mens est præcipuum in lege, nam est vita ejus. Item, propter quod unumquodque tale, et illud magis; sed verba sunt propter mentem, et non e contrario; ergo præferenda est mens verbis. Unde in cap. *In his*, de Verb. significat., dicitur: *Non debet aliquis considerare verba sed voluntatem, cum non intentio verbis, sed verba intentioni debeant deservire.* In contrarium vero facit, quia, licet ordine intentionis mens sit prior verbis, sic enim dicuntur verba esse propter mentem, quia ad illam indicandam instituta sunt, nihilominus ordine executionis seu in genere causæ instrumentalis priora sunt verba; nam per illa devenimus in cognitionem mentis et voluntatis legislatoris; ergo præferenda est verborum vis in legis interpretatione. Et confirmatur; nam illud est præferendum quod certius est; sed verborum proprietas est certa et clara; mens autem legislatoris solum per conjecturas cognoscitur, in quibus sæpe homines falluntur; ergo præferenda sunt verba per se loquendo, vel saltem regulariter. Quod videtur sentire Tiraquel. in dict. 1. *Si unquam*, verb. *Libertis*, n. 23 cum Bald., in cap. *Licet*, de Elect.

16. Quo sensu verba sunt signa voluntatis legislatoris. — Interdum proprietas verborum relinquenda, ut mens legislatoris investigetur. — Respondeo hanc comparisonem non posse fieri inter verba legis et voluntatem legislatoris, ut in se est mere interna, cum voluntas non hoc modo cognoscatur, neque ut sic deservire possit ad intelligendam legem. Potest ergo fieri comparatio vel inter verba ex una parte, et alias conjecturas quibus mentem legislatoris

indagamus ex alia, vel inter vim et proprietatem verborum, et mentem legislatoris sufficienter coniectatam per varia signa simul sumpta. Priori ergo modo dicendum videtur verba per se loquendo esse potissimum signum voluntatis legislatoris, et illo maxime utendum esse ad mentem legis perspicendam, non tamen illo solo, sed simul cum aliis a quibus interdum vinci ac superari potest. Primum horum intendunt doctores allegati, et constat, quia significatio verborum est magis expressa et certa, item quia verba sunt quæ ex intentione legislatoris potissimum assumuntur ad declarandam voluntatem suam; ergo illa etiam primo ac principaliter consulti debent ad eandem voluntatem cognoscendam. Altera vero pars sufficienter probata est in principali regula et in declaratione præcedentis dubitationis. Unde constat, in secundo sensu comparisonis, mentem legis, utcumque sufficienter cognita sit, esse verbis præferendam, quod satis probant rationes priori loco factæ. Probatur etiam ex l. *Non dubium*, c. de Legibus, dicente contra legem agere qui per occasionem verborum contra legis nititur voluntatem; est ergo voluntas verbis præferenda. Item in l. *Nominis*, de Verb. significat., dicitur *ex lege esse, tam quod est ex sententia legis quam quod ex verbis*, ubi Gloss. exponit: *Tam quod est ex sententia præter verba quam quod est ex verbis et sententia*; nam quod est ex verbis sine sententia non est lex, ut visum est. Hoc denique modo dicitur in dict. 1. *Non aliter*, ff. de Legat. 3, a verbis legis recedi, ubi de mente legislatoris constat. Dicimur autem a verbis legis recedere, quando illa extendimus, vel restringimus, vel multo magis quando a proprietate verborum aliquantulum recedimus, quod etiam facere licet, quando necessarium est ut a mente legislatoris non recedamus, quia tunc verba revera non significant voluntatem legislatoris secundum suam proprietatem, sed secundum aliquam translationem; unde est illud Gregor. in cap. *Præterea*, de Verb. significat.: *Plerumque dum proprietas verborum attenditur, sensus veritatis amittitur.*

17. Quibus modis mens legislatoris indaganda. — Tandem vero interrogari potest quibus modis vel conjecturis utendum sit ad mentem legislatoris indagandam præter nudam vim verborum. Respondeo multa assignari a jurisperitis; præcipua vero capita sunt hæc: Primo, materia legis; nam illi maxime debent verba deservire, juxta sententiam Gregorii supra citatam. Sic in cap. 2 de Translat. Episc.,

§ *Sed neque*, exponitur *Ecclesiam dici viduatam*, etiamsi habeat Episcopum non consecratum vel inutilem, quia materia talem sensum postulabat. Sic etiam in l. *Si vere*, ff. *Locati*, verbum *donationis* per verbum translationis exponitur, *materia exigente*. Secundo, quoties verborum proprietas induceret injustitiam, vel similem absurditatem circa mentem legislatoris, trahenda sunt verba ad sensum etiam improprium in quo lex sit justa et rationabilis, quia hæc præsumitur esse mens legislatoris, ut multis juribus declaratum est in tit. de Legib., ff. Et in eis ratio ostenditur. Nam in l. 18 dicitur: *Benignius leges interpretandæ sunt, quo voluntas earum conservetur.* Ergo si necessaria sit etiam impropria interpretatio ut voluntas sit vel præsumatur justa, in eo sensu accipienda est lex, quia alias non conservabitur voluntas legislatoris, cum lex injusta non sit lex. Et in l. 19 additur: *In ambigua voce legis ea potius accipienda est significatio, quæ vitio caret, præsertim cum voluntas legis ex hoc colligi possit*; quia nimirum sine vitio esse præsumenda est. Quod habet verum etiamsi illa ambiguitas sit per analogiam vel improprietatem, et idem sumitur ex l. *Nulla juris ratio*, eodem.

18. Semper aliqua proprietas verborum servanda. — Tertio, ex comparatione ad alia jura potest indagari mens legislatoris in aliqua lege, etiam præter vim et proprietatem verborum ejus, idque dupliciter: primo, ex repugnantia et contrarietate aliarum legum quæ oriuntur in uno verborum sensu, et vitatur in alio; tunc enim interpretamur mentem legislatoris non fuisse derogare superioribus legibus aut illas corrigere, et ideo usum fuisse verbis in ea significatione quæ cum aliis juribus stare possit; quia non receditur a jure antiquo, nisi quatenus in novo exprimitur, l. *Præcipimus*, in fin., c. de Appellat., et notat Gloss. in cap. *Cupientes*, § *Quod si*, verb. *Petere*, de Elect., in 6; correctio enim et mutatio legis odiosa est et de se non admittitur, nisi ubi omnino vitari non potest. Unde addunt jurisperiti vitandam esse etiamsi opus sit verba posterioris legis minus proprie interpretari. (Vide Gutier. in Pract., l. 3, q. 15, a. 24 et 25). Ita docent Anton. de Butr. in cap. *Cum dilectus*, de Consuet., n. 15, et ibi Imol., n. 12; et Felin. in cap. *Non potest*, de Re judic., n. 8, § *Limita dupliciter*, cum Panorm. in cap. *Cum olim*, de Re judic., in fin., qui ad hoc etiam inducit Gloss. ult. interpretantem illum textum juxta hanc regulam. Nam cum textus ille requirat

concordiam eligentium, et concordia in rigore significare videatur ut nullus discrepet, nihilominus sufficere censet ut fiat majori parte consentiente; nam hæc est concordia juridica de qua intelligenda est illa lex, cum non declarat se velle communi juri derogare. Unde colligo ita licere ob eam causam verba legis improprie interpretari, ut tamen servetur aliqua proprietas verborum, saltem secundum consuetudinem juris, ut in exemplo adducto constat, et idem invenitur in aliis quæ afferri solent. Estque valde consentaneum rationi, quia esto non semper legislatores loquantur juxta naturalem proprietatem verborum, semper tamen videntur loqui saltem secundum aliquam juris proprietatem aut consuetudinem, quando materia aliud non postulat. Neque major extensio videtur admittenda, ne detur occasio et licentia corrumpendi jura, quod est majus incommodum quam admittere aliquam juris correctionem. Altera via colligendi mentem legislatoris per comparationem ad alia jura est per concordiam. Ubi enim conveniens sensus legislatoris sumi non potest ex verbis in rigore ac naturali proprietate sumptis, et alia significatio suppetit in qua sensum accommodatum reddunt, multum juvabit si talis significatio verborum consentanea sit aliis juribus, in quibus similia verba in illo sensu accipiuntur vel æquiparantur: tunc enim valde probabilis fit talis interpretatio ex mente legislatoris, quia secundum jus loqui præsumitur. Et hoc maxime habet locum quando talis interpretatio benigna est et nullum aliud habet incommodum; nam benigna interpretatio legis, cæteris paribus, præferenda est, juxta leg. *Benignius*, ff. de Legibus.

19. Ratio legis valde conducit ad mentem legislatoris indagandam. — Ultimo circa rationem legis addendum est illam quidem non sufficienter continere mentem legislatoris; si tamen de illa constet multum valere ad eandem mentem legislatoris investigandam. Ita docuit Bald. in cap. *Licet*, de Elect., et Decius in cap. *Secundo requiris*, de Appell., et plures alii apud Tiraq., in dict. 1. *Si unquam*, § *Libertis*, n. 23, et prior pars constat, tum quia ratio legis non est textus legis, tum etiam quia multa per legem humanam statuuntur arbitrio potius quam certa ratione, et ideo non omnium quæ per leges statuuntur, ratio reddi potest, ut dicitur in l. *Non omnium*, de Legibus. Quamvis enim lex semper sit rationi consentanea, nihilominus electio inter ea quæ rationabilia

sunt sæpe non habet rationem, et ideo non semper est investiganda, ut dicitur in l. *Et ideo*, ff. eodem; ergo sola ratio legis non continet legislatoris voluntatem, quia pro suo arbitrio potuit non in omnibus illi conformari, sed solum quatenus voluit et suis verbis explicavit. Unde intulit Bald. supra, majoris momenti esse verba quam rationem, *etiam magistralem*, ut ipse loquitur, quia verba sunt quasi legis substantia et immediate continent voluntatem legislatoris; ratio autem solum remote illam indicat.

20. *Ratio legis in ipsa contenta magnum indicium mentis est legislatoris.*—Nihilominus tamen posterior etiam pars verissima est. Oportet tamen circa illam advertere duplicem esse posse rationem legis, unam in lege non expressam, sed ab interpretibus excogitatum; aliam in lege ipsa explicatam. Prior ergo ratio, licet aliquid conferat ad assequendam legislatoris mentem, non est tamen certum indicium, sed probabilis tantum conjectura; tum quia sæpe ratio non est certa, sed in opinione doctorum posita est, tum etiam quia multo minus certum est illam fuisse rationem quæ movit ipsum legislatorem, cum possint esse aliæ a quibus moveri potuerit, et consequenter est incertum ad quam rationem magis accommodandus sit sensus legis. At vero quando ratio legis in ipsa lege continetur, magnum indicium esse potest mentis legislatoris, et post verba ipsa videtur secundum certitudinis locum obtinere, quia tunc ratio legis est aliquo modo pars ejus; nam in ea continetur, ut supponitur. Unde necesse est ut præceptum et voluntas legislatoris sit rationi suæ accommodata, et consequenter ut verba significantia actum præceptum, si ambigua sint, ex ratione ibi expressa determinationem accipiant; ergo ex tali ratione efficaciter probatur mens legislatoris. Quod ideo manifestum visum est Bartolo et multis aliis jurisperitis, ut sæpe non distinguant inter hanc rationem et mentem legislatoris, et utramque pariter vocant animam legis ut supra l. 3 dixi, et attingit Deci. loco proxime citato. Verumtamen, licet illa duo sint valde propinqua, in rigore sunt distincta ut ibi probavi, et ideo ratio est medium ad indagandam mentem, et moraliter certum quando est in lege expressa, non tamen ita infallibile quin aliæ etiam circumstantiæ ponderandæ sint, quia etiam ipsius rationis sensus potest esse ambiguus, et ex aliis circumstantiis certior redditur. Et contingere etiam potest ut ex eadem ratione voluntas variis modis, et ad

diversa moveatur, et ideo ad plane cognoscendam legislatoris voluntatem quæ est propria mens ejus non sufficit sola ratio etiam in lege expressa, sed omnia expendenda sunt et attente consideranda.

CAPUT II.

QUANDO ET QUOMODO HABEAT LOCUM EXTENSIO IN LEGIBUS HUMANIS PER EARUM INTERPRETATIONEM.

1. *Legis interpretatio declaratur.*—Legis interpretatio, si præcise ac secundum vocis rigorem sumatur, solum consistit in declaratione et intelligentia proprii et (ut sic dicam) immediati sensus ipsius legis, sistendo tantum in usitata et propria significatione verborum et in sensu legis ex illis sic intellectis resultante; et hanc interpretationem videtur vocasse declarativam Bart. in l. *Omnes populi*, ff. de Justit. et jure, quæst. 6, principali, et de illa tractat in quæst. 3; nobis vero nihil de illa dicendum superest præter dicta in capite præcedenti. Alio ergo modo sumitur interpretatio prout aliquid specialiter operatur circa legem, quæ multiplex est secundum varios effectus: unus est correctio vel abrogatio legis, de qua infra dicemus, quia specialiter fit per unam legem circa alias, vel per posteriores circa præcedentes; alii vero sunt qui in unaquaque lege secundum se spectari possunt, ut sunt extensio, restrictio, exceptio, vel excusatio seu cessatio obligationis legis vel aliorum effectuum ejus; et de singulis aliquid dicendum est ut generales regulæ habeantur ad decidendos casus ex legum intelligentia pendentes.

2. *Quadruplex extensio legis.*—Primo igitur circa extensionem adverte quadruplicem extensionem in lege posse cogitari. Una est intra verborum proprietatem secundum naturalem significationem; alia est ultra proprietatem naturalem et intra proprietatem civilem, sive per communis juris usum, sive per aliquam juris fictionem; tertia esse potest ultra utramque proprietatem per aliquam improprietatem, sive in significatione alicujus verbi aut nominis, sive in connexionem verborum, sive in subintelligenda vel supplenda aliqua particula non expressa in lege. Et ita in hoc tertio membro potest esse infinita varietas et inæqualitas per majorem vel minorem improprietatem. Quarto, potest cogitari extensio ultra omnem significationem verborum etiam improprietatem, solum propter rerum vel casuum similitudinem,

aut identitatem formalem in ratione legis. Quinto, addi potest extensio ultra mentem legislatoris. Sed hanc non admittimus, ut infra dicemus, nec ultra dictos modos extensionis videtur alius possibilis per comparisonem ad verba, vel rationem legis, quæ est veluti terminus a quo procedit extensio. Potest autem extensio fieri ad personas, ad res, seu casus, ad loca, vel ad tempora, et ita ex parte termini ad quem (ut ita dicam) possunt etiam extensiones multiplicari.

3. *Quousque lex non odiosa extendenda est.*—Dico ergo primo: omnis lex non odiosa per se loquendo extendenda est ad omnia quæ verba in significatione propria ac naturali comprehendunt, non vero ultra illa, nisi alia specialis ratio id requirat. Exempla sunt, si lex loquatur de filiis, ut filias etiam comprehendat, quia illa vox in significatione propria communis est, non vero ita comprehendit nepotes ex vi significationis, nisi alia ratio cogat. Et ideo dixi *per se loquendo*; nam ex accidenti possunt verba intra illam significationem coarctari, ut si ex ampla intelligentia etiam propriissima sequatur aliquid absurdum, vel correctio alterius legis, vel aliquid simile, ut in capite sequenti explicabimus. Sic ergo explicata assertio communis est in c. 4 de Constit., ubi bene Dec., lect. 1, n. 23 et sequentibus; Panormit., n. 14, et sumitur ex Glossa in l. *Non possunt*, ff. de Legibus, in fine. Prior ergo pars affirmans patet, quia tunc nulla est ratio extendendi legem ultra naturalem proprietatem verborum; ergo non debet fieri, quia regulariter homines loquuntur secundum proprietatem verborum; et si absolute et indefinite loquuntur, de toto significato verborum loqui intelliguntur. Et hoc maxime habet locum in legibus in quibus indefinitus sermo æquivaleret universali, quia sunt regulæ generales et doctrinalem sermonem continent, ut optime probari potest ex lege *Prospexit*, ff. Qui et a quibus; et tradidit Bart. in l. 1, § *Sed et si*, ff. de Ventr. in possess. mitten., n. 3, ubi in scholis multa referuntur. Et confirmatur, quia lex quæ non continet odium aut speciale gravamen inter favores reputari potest, ut in principio libri præcedentis dixi; ergo inter prædictos saltem limites extendenda est.

4. Altera vero pars negativa cum sua moderatione exceptiva etiam est clara, quia per se loquendo ac regulariter homines utuntur verbis in significatione maxime propria; multo ergo magis id est observandum in legibus. Et hoc etiam confirmant multa ex his quæ in

superiori capite adduximus, et nonnulla juris principia, ut quod *Ubi lex non distinguit nec nos distinguere debemus*, quod sumitur ex dicta l. *Prospexit*, et l. 1, ff. de Legat. præst.; cui æquivalens est, ut *Quod absolute dicitur, simpliciter et sine diminutione accipiatur*, l. de Pretio, ff. de Publicana, etc., cui consonat l. *Cum Prætor*, 170, ff. de Regul. jur.; juvat etiam quod *Simplicibus legibus est amica*, ut dicitur in § *Cæterum*, Instit. de Legitim. agnat. succ., et alia similia. Et hæc assertio ex sequentibus magis declarabitur; quando vero specialis ratio majorem extensionem postulet, quando vero tantam non patiatur dicemus capite sequenti.

5. *Lex favorabilis ad omnem proprietatem verborum est extendenda.*—Dico secundo: quando lex est favorabilis, vel specialis aliqua ratio juris intercedit, extendenda est ad omnem proprietatem verborum, non solum naturalem, sed etiam civilem seu juridicam, non vero ultra illam, nisi major necessitas id postulet. Hæc posterior pars latius tractabitur in assertionem sequenti; nunc vero sufficienter constat ex dictis in capite præcedenti, quia verborum proprietatem tenenda est, nisi necessitas cogat, quia alias nihil erit certum et constans in dispositione legum. Prior ergo pars assertionis, quæ præcipue nunc intenta est, communis est et clara, et in communi suaderi potest, quia unaquæque ars utitur verbis sibi propriis et juxta propriam consuetudinem vel institutionem; ergo multo magis id servandum est in legibus. Nec enim cogendus est legislator ut, quoties loqui vult de filiis naturalibus et adoptivis, specificè id faciat, sed aliquando uti poterit voce communi; ergo in legibus habere potest locum extensio secundum totam significationem propriam verborum non solum naturalem, sed etiam civilem; ergo maxime ita sunt accipienda verba in favorabilibus legibus, juxta vulgata principia juris. Quod tamen semper est intelligendum per se, et nisi aliud obstet, juxta alia principia et regulas quas proponemus. Idemque erit quando eadem omnino ratio in lege expressa in omnibus illis significationibus inventa fuerit, tunc enim satis indicat eadem ratio intentionem legislatoris fuisse de omnibus illis loqui.

6. *Extensio admittenda in materia favorabili, non vero in odiosa.*—Atque ad hanc regulam spectant variæ quæstiones quæ de hac extensione tractantur a doctoribus, quarum resolutio ab illa pendet et a posteriori, et quasi